

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0171

0169

0175

0165

0180

0160

0220

0120

0270

0070

0670

Ende

Anfang

160

contra arenam et calculum. Evomit etiam hoc mare quasdam nigras glebas bituminis, quae omnia sunt signa ardoris inferioris abyssi, et sunt quasi faeces occultorum decoctionum. Insuper nonnumquam nominatur in Scriptura sacra mare solitudinis, ut Josuae 2., quia terra per circuitum deserta est, ut in plurimum, et usque in solitudinem Pharan linguam suam extendit, dividens terram sanctam a solitudine illa magna, per quam filii Israel transierunt. Dicitur etiam mare orientale, respectu maris magni, quod dicitur occidentale. Nam terra sancta inter haec maria duo est interclusa, et terminant ejus latitudinem. Nominatur etiam aliquando mare novissimum, pro eo, quod a principio creationis non fuit, sed tempore Abrahae fuit factum novissime post omnia alia maria. Alia enim maria fuerunt creata annis 3272 ante hoc mare; ideo est novissimum. Multoties etiam nominatur hoc mare mare sodomiticum, propter principalem civitatem Sodomam, quae hoc mari opera est, vel propter sodomiae peccatum, quod hic punitum fuit. Dicitur etiam nonnumquam mare diabolicum, propter praestigia daemonum et potestatem eorum in hunc locum. Desertus est enim locus per maris illius circuitum propter infestationes daemonum et illusiones multiplices; multa enim ibi fiunt opere daemonum, permittente Deo, sicut, quod penna mari injecta fundum repente petat, et ferrum immisum supernatet, quod dicunt hic fieri. Nominatur etiam mare maledictum, pro eo, quod in maledictionem peccatorum sit factum, et quod in nullo mundi loco tam manifeste desaevit ira Dei in punitionem maledictorum, sicut hic. Dicitur etiam mare gehennale, quia per vallem Gehennae est descensus a Jerusalem in illud, et torrens Gehennae in id vergit, ut saepe superius patuit. Ultimo dicitur mare infernale, quia ibi damnati inducti per igneum torrentem vallis Gehennae demergentur in infernum. Ibi enim infernus dilatabit os suum, ut eos suscipiat quibus dicetur: discedite a me maledicti etc. In hujus signum hoc mare semper fumat tamquam caminus inferni, et quemcumque locum vapor ille contingit, eum inficit sterilemque et inutilem reddit ab utraque parte maris, et si aliquid generatum fuerit, inutile tamen est. Vidimus enim ibi poma illa, de quibus Josephus et Magister in suo Spec.

